Quelle: http://manuscripta.at/?ID=508
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Et enim corporalem et indivisibilem panem dissecans et in multa dividens, et unitiva calicis omnibus partes significatione unitive multiplicat et distribuit, misterialiter sanctissimum sacrificium perficiens. Et infra: Misteriorum omnium sacrorum ornatus ierarchice congregatus et divinissimis communicans cum gratiarum actione desinit, operacionem proportionalem cognoscens et laudans gratias. Libro de ecclesiastica ierarchia ad Thymotheum 3o capitulo.

Origenes

30 Dicant ergo nobis, quis est iste populus, qui in usu habet sanguinem bibere? Hec erant que in evangelio audientes hii qui ex iudeis dominum sequebantur scandalisati sunt et dixerunt: Quis potest manducare carnes et sanguinem bibere? Sed populus christianus fidelis audit hec et amplectitur et sequitur eum qui dicit: Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis meum sanguinem etc. Super illo Numeri xxiii° capitulo: Populus ut leena consurget et quasi leo erigetur, non accubabit donec devoret predam et occisorum sanguinem bibat. Omelia 16

Hylarius

31 De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius domini professione et fide nostra vere caro et vere sanguinis est, et hec accepta atque hausta a nobis efficiunt, et nos in Christo et Christus in nobis sit etc. Ubi Archidyaconus: hec accepta quantum ad carnem, atque hausta quantum ad sanguinem facta de calice et de manu sacerdotis. Libro de trinitate 8 et in Canone de consecratione distinctione 2 In Christo etc.

Cyprianus martir

32 Quamquam sciam fratres carissime episcopos plurimos ecclesiis dominicis in toto mundo divina dignatione prepositos evangelice veritatis ac dominice tradicionis tenere rationem. Nec ab eo quod Christus magister et precepit et gessit, humana et novella institutione decedere, tamen quoniam quidam vel ignoranter vel simpliciter in calice dominico sanctificando et plebi ministrando non hoc faciunt quod Jesus Christus dominus et deus noster sacrificii huius auctor et doctor fecit et docuit, religiosum pariter ac necessarium duxi de hoc ad vos litteras facere, ut siquis adhuc in isto errore tenetur, veritatis luce perspecta ad radicem atque originem tradicionis dominice revertatur. Nec nos putetis fratres carissimi nostra et humana conscribere aut ultronea voluntate hec nobis audacter assumere cum mediocritatem nostram semper humili et verecunda moderatione teneamus. Sed cum aliquid deo inspirante et mandante precipitur, necesse est ut domino suus fidelis obtemperet, excusatus apud omnes quod sibi nil arroganter assumat, qui offensam domini timere compellitur, nisi faciat quod iubetur. Epistola 3a ad Cecilium de sacramento dominici calicis etc.

Ciprianus

33 Et quemadmodum vino isto communi mens solvitur et anima relaxatur et tristicia omnis exponitur, ita et poto sanguine domini et poculo salutari exponatur memoria veteris hominis et fiat oblivio conversationis pristine ~~secl~~ secularis. Sed mestum pectus ac triste quod prius peccatis angentibus premebatur, divine indulgentie leticia resolvatur. Quod tunc demum potest letificare in